

EMPYEMATIS
SINGULARIS ¹⁶
HISTORIAM ET EPICRISIS

GRAVISSIMO MEDICORUM ORDINE
INDULGENTE

PRO LICENTIA

GRADUM, HONORES ATQUE PRIVILEGIA
DOCTORUM MEDICINÆ

RITE IMPETRANDI

DIE XXI. DECEMBRIS MDCCCLXIX.

SOLENNI ERUDITORUM EXAMINI
PROPONIT

FRANCISCUS ANTONIUS
KELLER

HAGENOENSIS - ALSATA.

H. L. Q. C.

ARGENTORATI

Typis JOHANNIS HENRICI HEITZII,
Universitatis Typographi.

D E O
P A T R I Æ
P A T R O N I S
P A R E N T I B U S

A T Q U E

A M I C I S.



Proœmium.



Arduum est sane juveni, quem Academie leges ad scribendum Specimen adstringunt, tale aliquod eligere Thema, quod & novum sit, laudemque aliquam mereatur, nec tamen vires tyronis supereret, quem nec tractationum consuetudo, nec, qua opus est, eruditio, nec styli elegantia ornant. His ego quoque pressus angustiis, diu hæsi dubius, L. B. quid potissimum elaborare fusciperem, dignum quod tibi offerretur. Principio quidem magis arriserat, ex ea Medicinæ parte, quæ cadavera lustrat, depromere Dissertationis Argumentum, quod vero institutum derelinquere coegerit me præter alia valetudinis ratio. Fixit tandem harentem animum

A

Dexterinus atque Expertissimus DN. LERICHE, quem in
Nofocomio Regio Chirurgum Primarium multis abhinc annis
 Praeceptorem veneror: Hic qua in discipulos fertur humanita-
 te, obtulit mihi *Empyematis singularis Historiam*, ex innu-
 meris illis. Observationibus, quas continuo exhibet hoc Noso-
 comium, selectum, quod beneficii genus neutiquam desinam
 grata recolere mente. Mearum igitur partium esse duxi,
 ipsis Cl. OBSERVATORIS verbis conceptam Morbi Historiam
 latina reddere lingua, eique mea subjungere cogitata. Sit
 cæterum penes æquos indulgentesque rerum existimatores ju-
 dicium benignum.

HISTORIA MORBI.

Joannes Baptista Croquet, Miles Legionis Equitum, Colo-
nel-Général dictæ, Urbis hoc tempore præsidia agentis,
vigesimum secundum annum agens, die V. Maji anni 1768 ad
nostrum delatus est Nofocomium. Acceperat scilicet vulnus
in dextrum pectoris latus, quod & in thoracis cavitatem erat
adactum, & pulmonis lobum læserat; gladii satis lati incurvus
culpis inter quintam sextamque costam paulo antrorsum in
pectus penetraverat, eamque vulneris conditionem acuta febris
atque summa dispicea haud obscure indicabant. Dirum hæc
valetudinis genus repetitas certe exigebat venæsectiones, qua-
propter intra quinque dierum spatiū ad duodecimam usque
ascendimus, interimque exhibita sunt diluentia, præscripta
diæta, dataque enemata, ut alvus libera esset; quo etiam fa-
cilius est, ut & febris mitigaretur, & respiratio fieret expedi-
tior. Cum autem nec plane cessare ista, nec tolli omnino
dyspnœa usque potuerit, sanguinis aliquam copiam super se-
ptum transversum effusum esse summo jure videbat mihi su-
spicari, deque ea re ut fierem certior, ægrum in utrumque

latus, potissimumque in illud, quod oppositum erat vulnus,
cubare jussi, quo in situ omnino, quandiu vellem remansit,
nullum edens incommodi signum. Erectus tunc ut in lecto suo
federet, volui, ac ita per satis longum tempus reliqui, nullo
tamen apparente indicio sanguinis super diaphragma confluen-
tis, suoque gravantis pondere. Absentibus autem licet hisce
signis, quæ certissima esse alias tradunt Auctores, cum cæte-
rum nec inflammationis adesset vestigium, nec tamen cum
dyspnœa, febris evanesceret, nullus dubitavi, quin subesset
effusus crux, atque paracenthesin thoracis, in qua ultima mi-
litis salutem esse positam videbatur, instituendam esse censui,
quæ autem operatio, cum eam docti alias Viri, quorum eru-
ditionem suspicio, dissuaderent, ea scilicet de causa, quod
Empyematis univoca uti vocant signa nullatenus hic adessent,
frustra hactenus fuit proposita: quod enim iis regerem, non
habui. Igitur attentius ægroti statum rimamur, institutoque
examine, decernitur, febris proximam causam ex hepate ori-
ri; (quod & durum tumidumque fuisse fatendum est.) pur-
gandum igitur esse corpus eccoproticis, posteaque aperitivas
esse exhibendas potiones, quæ omnia ut rite fierent, caute
invigilavi. Nihilo tamen minus usque durabat febris, diffi-
ciliisque manebat respiratio, cuius rei causam hepati tribuere
nunc videbatur incongruum. Interim, dum quotidie ægrum
curo, absolvitur vulneris cicatrix, trium septimanarum, quæ
jamjam durantibus his effluxerant, spatio: Hanc cicatricem
cum curati inspicarem, ecce offert se oculis tumor, infra
sequentem sextam costam dispares, cum digito premeretur,
ubi vero is remotus, iterum repullulans, cuius indolem co-
gnoscere haud difficile erat; igitur aperiri protinus jussi, quo
facto effluit pectoris cavo larga puris albi, spissi fœtentisque
copia, sex circiter ad minimum libras æquans, quam exiens
simul aer summo cum impetu arcuatim expellebat, non obscu-
ro indicio, profunde satis adactum fuisse vulnus. Levatus
hac evacuatione æger bona spe vix mulcere animum coepit.

sum in summum delapsus virum defectum præfocari nunc videretur, respirationis organo nimis debilitato; refectionis tamen sensim sensimque est. Indies autem magis prosternebant vires, vexabatur continua tussi, ut morti proximus crederetur; igitur nihil non tentatum reliquimus, cordialaque medicamenta tam felici successu fuere propinata, ut vitæ rufus excitaretur vis. Purulenta materies ut libere efflueret e vulnere, cubare in affectum pectus jussus est miles, quo etiam factum est, ut jugi fluxu semper stillaret, tandemque evacuaretur pectoris cavitas. Ast, dum ita se habent reliqua, nullatenus lenienda tussis, militem diu noctuque male habet, nec dulci somno refici patitur; exhibitis licet omni cura bechicis reliquisque solitis medicamentis; hinc ut ei somnus conciliaretur, prudenter præscripsi narcotica, & eo quidem cum successu, ut placide dormire cooperit noctu; Abhiac cum indies magis magisque refectionis esset, cibos tandem ut assumeret, permisi, carnemque concessi, a cuius tamen esu sive ad concoquendum ineptus hucusque fuerit ventriculus, sive quod potius crederem, ea fuerit abusus, ita male mulctatus est, ut diuturna vixque tollenda diarrhoea vexaretur, quapropter cautius quoque postea valetudini suæ invigilavit. Exhibui tunc, ut absolveretur cura, vulnerarias potiones, bechica, Peruvianum Corticem, tandem Serum Lactis, atque postremo ipsum Lac, egregium hic alimenti genus. His tandem restitutus, macilentum debileque antea corpus insolitam acquisivit quadraturam, cumque indies minueretur puris copia, tandemque serofum prodiret, clausum est vulnus, valedixitque miles optimè valens Nosocomio noltro die XX. mensis Augusti ejusdem anni.



§. I.

Vitalis illa æque ac voluntaria actio, quam respirationem dicunt, cuius organon thoracis ossæ crates continet, cum ad suam integratem tam multiplices conditions requirat, ut multarum partium, pulmonum scilicet, costarum, diaphragmatis, musculorum abdominis, aliarumque partium, alternans atque conspirans demum motus eam perficiant, quid mirum si multifarie lædi, gravari, tollique possit? quidquid enim ipsis, quæducendo spiritui ministrantur partibus, quasque ne nostras transcendamus limites, ex Anatome notas accipere liceat, vim inferre valet, nobilem istam functionem certe non poterit non turbare. Aér alienis effluviis gravatus, elastica vi sua orbatus; faicum, bronchiorum, reliquarumque quas aér permeare debet partium, morbi vix enumerandi; ossæ thoracis structuræ vitia; muscularum sive intercostalium sive abdominalium affectiones; obstracula quæ ex abdomine nascuntur; aér, sanguis, serum, pus, varii tumores, aliaye aliena corpora, cum thoracis cavitatem occupant, pulmonisque expansioni obstrunt; tandem vulnera pectoris eorumque pedisæqua mala pro ea quam vel per se possident, vel crescendo acquirere possunt nocendi vi, dyspnoæ, asthmatis, orthopnoæ, variarumque tussis generum cause fieri solent, ut inde liqueat, inquit Ill. GAUB. a), vix aliud symptoma dari, quod tot & tam diversi generis affectionibus sese socium adjungat. Ex tanta causarum morbificarum turba, quæ pectus afficere solent, binas potissimum eligere, deque iis pro dignitate dicere jubet instituti mei ratio, effusum scilicet in thoracis cavitatem sive pus sive cruorem, pectorisque vulnera; utrius-

A 3

a) Institut. Patholog. §. 765;

que enim affectionis exemplum præbet, quam mox tradidi,
observatio, & de his quidem prius sermonem instituam.

§. II.

Pectoris vulnera ubi chirurgicarum rerum Scriptores b) consulimus, dividi præcipue solent in talia, quæ in continentibus pectoris partibus subsistunt, aliaque in cavitatem thoracis adacta, quæ iterum sive læserunt contentas partes, sive intactas reliquerunt; hæc quæ penetrarunt, in majus præcipitare discrimen ægrum, minus portendere, quæ in continentibus subsistunt partibus, sana ratio suadet, quamvis & hæc mortifera esse possint, ubi a tergo inficta, aortam, venam sine pari, ductumque thoracicum illæsa pleura attingunt c). Infinguntur autem vel obtusis corporibus, quæ simul molles contundunt partes, sive duras frangunt, vel acutis scindentibus que gladiis; inter utraque aliquod discrimen est, quod ex diversa contusorum scissorumque vulnerum natura facile & hic dijudicatur: altioris indaginis summique momenti negotium est, illa rite colligere signa, quæ, an vulnus in thoracem adactum sit, nec ne, numque internas partes læserit? arguunt; etenim & hic primus ad sanitatem gradus est morbum cognovisse. In hacce elucidanda diagnosi quam plurimum defudarunt ab omnibus retro temporibus Chirurgi, multaque proposuerunt experimenta, quæ vix non omnia incerta sunt, atque ad vexandum potius ægrum & exacerbanda symptomata, quam ad absolvendam morbi cognitionem inferire videntur. Et primum quidem, quod ad qualemque vulnerum conditio-

b) vid. PLATNERI *Institut. Chirurg.* §. 620. LA MOTTE *Traité compl. de Chir.* Tom. III. C. XIV. p. 1. III. VAN SWIETEN *Comment. iu Bærb. Apbor.* §. 297. fqq. HEISTER. *Institut. Chirurg.* Vol. I. L. I. C. X. ut reliquos omittam.

c) PLATNER. *Inft. Chir.* §. 645. Edit. germ. quæ præ latina auctiæ est.

nes explorandas usurpare solent Chirurgi, cuiusque & hic ab Autoribus præcipitur usus, specillum est flexile d). Quod in vulneris externam oram, ea direktione qua receptum est, si fieri possit, immisum, quanta illud gaudeat profunditate, ut dicunt, aperte demonstrat. Secundum quod præ reliquis commendant signum, injectio est tepida in vulnus, quæ methodus præ aliis tunc videtur VAN SWIETEN e). Magnum utique authoritatis pondus! scilicet cum per siphonem injicitur tepida aqua aliqua copia, si remanet, penetrasse vulnus, inque thoracis cavitate effusam esse istam, indicatur; si refluit, subflistere in carnibus, signum est. Aliud iterum ægrotato certe summe trædiosum est experimentum, dum clauso vulnera inspirare, apertoque rursus expirare jubent, aëris meatibus per fauces præclusis, atque ita confluentem in thoracis cavo aërem per vulnus exire cogunt. Cum porro thoracis pulmonisque vulnera sèpissime emphysematosus pectoris habitus insequi soleat, hunc quoque inter diagnostica vulnerum penetrantium signa referre solent Chirurgiæ Scriptores. His tandem sanguinis spumantis ex ore sive vulnere exitum f) addunt. Sufficiant præcipua hæc, quæ ex libris excerpti, breviter hic retulisse, nec enim omnia ea follicite colligere allaborabo, quæ ubi cum reliquis adfunt, aliquid ad faciendam horum vulnerum diagnosis conferre possunt; quanti hæc facienda sint, quibusque potissimum hic signis standum? nunc dijudicaturus.

d) FABR. AB AQUAPENDENTE *Pentat. Chirurg.* Lib. II. Cap. XXI.
ILL. VAN SWIETEN *Comm. in Bærb. Aph. 300.* HEISTER. *Inst. Chir. I. c. PLATNER. Inst. Chir. §. 651.* edit. germ. JUNCKER. *Confsp. Chir. tab. L. IV. VI. VIII.*

e) *Comment. in Bærb. Aph. §. 297.* p. 491.

f) Hoc præcipue standum esse docet LA MOTTE. I. c.

§. III.

Specilli quidem usus ab omnibus retro temporibus in usum cessit Chirurgis, ut vulnerum recentium æque ac ulcerum explorarent conditiones, nec certe diffidendum, quod magni facienda sit, in cognoscendis plerisque vulneribus ista cynosura, sed est tamen, ubi superflua videtur, magisque noxia, quam profutura. Ubi scilicet in aliquem ventrem penetravit vulnus, immittiturque specillum, non potest non fieri quin reconditum in eo viscus, sive jamjam lœsum, sive saltem denudatum irritetur specillo, de novo lœdatur, ex quo inflammations diræ, ejusque pedissequa mala, necessaria naturæ lege consequentur; cumque quid inde boni experiatur æger vix apparat non possum non probare, quæ de specilli in his casibus abusu acriter fatis dicit RAVATON ^{g)}, omnique sane jure apud nos quoque exulat ista vulnerum exploratio, uti ex hujus morbi Historia apparet. Nec calculum meum ut addam injectionis encheiresi, a me possum impetrare. Nonne enim effusa in thoracis cavo aqua heterogenei corporis excitabit damnæ, nec ita facile a bibulis pulmonis vasis resorberi poterit? Nonne irritabit pulmonem syringa graviter jam antea lœsum? Nec minori jure rejicere mihi videor ex eo experimento petitam diagnostin, dum fortæ instituere jubent ægrum inspirationes, ut exiens per vulnus aér indicet, an penetraverit vulnus ad interiora? Quis enim non videt, ita fatigari his motibus vulneratum ægrum, ut ea saltem de causa sit improbanda; majorem quidem lucem accendere videtur, in his vulneribus emphysema pectoris integumenta elevans, sed cum & illud non semper hic appareat, vulneribusque non penetrantibus quoque supervenire possit ^{h)}, certi nihil indicare summo fane

^{g)} *Traité des playes d'armes à feu Chap. XVI.*

^{h)} Emphysema tumor est, qui ab inclusio sub integumentis aere membranum suum accepit. Illud vulnerato pulmone facile oriri sana ra-

sane jure concludere possum; mitius quidem esto iudicium de ista diagnosi, quæ ex sanguine spumante, quod ex vulnera prodit, peti solet; percuſſo enim pulmone & sanguinea & aërea certe vasa diſciſſa eſſe necesse eſt, tuncque non raro ſive exiſtit ex vulnera, cum aëre mixtus ſanguis, ſive excreabitur, ſepiuſ autem quoque in thoracis cavum effunditur; igitur ubi ſpumans exit ſanguis vulneratum pulmonem eſſe, fatis certe demonſtrat, ubi vero deficit, haud penetraſſe vulnus, nulla certa eſt conclusio; vix enim ob perpetuum thoracis motum, quem & laſio adauget, eveniet, ut contigua maneant partium extērnarū pulmoniſque vulnera, ac ita facile cohibetur ſanguinis effluxus. Omifſis ergo bono omīne iſtis quæ ægrum vexant experimentis, neglectisque reliquis incertis ſignis, penetraſſe vulnus cum *Expertissimo Oſervatore* conſtanter concludo, ubi quod in citato caſu evenit ſtatiſ post acceptum vulnus, acuta febris ſummaque dyspnoea, fidæ percuſſi pulmonis comites iſtam vulneris conditionem indicabunt, CELSI præcipue autoritate riuius, qui ſpirandi difficultatem priuim laſi pulmonis ſignum eſſe docet i).

§. IV.

Mala ſemper omnia portendunt thoracis penetrantia vulnera, quæ tamen dira prognosis aliquando mitior eſſe ſolet, aliquando autem pellima eſt. Evenit ſcilicet non raro, ut bonis ægroti rebus curetur pulmo vulneratus, quando cam

B

tio fuadet, cum apertæ ejus veficulae aëreæ fluidum hoc non poſſint non dimittere, quod deinde inter vulneris oras, ſeſe in celulofam recipit, tumoremque efficit; fed & in omni vulnera etiam extus introire atque emphyſema efficere potest aër; imo ubi cum vulnera fracta eſt ſcapula, ſapere addeſſe teſtantur Autores. vid. PLATNER. *Inſt. Chir.* Tom. II. §. 1302. edit. germ.

i) *de Medicina* L. V. Cap. XXVI, n° IX.

autissima diæta, repetitæ celebrantur venæsecções, quæ horum vulnerum curam potissimum absolvere solent; accidit autem & sèpius, ut discissis maximis vasis, quæ sive sanguinem vehunt, sive spiritum ducunt, vel læsis aliis partibus ad vitam necessariis, quæ hoc cavo continentur, cito rapiatur ægrotus, alius tandem est eventus horum vulnerum, ubi ex discisis majoribus vasis exit quidem, effunditurque fatiguis, non tamen ea quantitate, quæ vitam simul rapit, sed colligitur potius super diaphragma, illud onerat, ejus motui obstatulum ponit, huicque innatans pulmo expandi debite nequit, minus quidem infortunatus hic vulneris eventus, cum haud ita celeriter necet, quod suo quoque exemplo docet ægrotus ineus. Atque ita manu quasi ducor ad alterum præcipuumque tractationis mœxi argumentum, sanguinis scilicet in thoracis cavo stagnationem, sive ibidem collectum pus *Empyema* k) vocant Chirurgi.

§. V.

Effundi sèpius, dum vulneratus est pulmo, in pectoris cavo cruorem hactenus planum est, ex vulneratis autem intercostalibus arteriis nasci posse hanc calamitatem vix crederem, nisi aliquando in ihorum vasorum decursu Natura luderet l).

k) *Empyema* significationis suæ vi puris collectionem in quacunque corporis cavitate denotat, inde Veteres *Empyos* vocabant omnes, quos puris in quodam ventre copia vexabat. Recepto tamen hodie loquendi usu *Empyema* de puris in thoracis cavitate solummodo præsentis intelligitur; quia in idiomate gallico & sanguinis & puris in pectoris cavo collectio, & quæ his affectibus optulari solet, operatio *Empyema* audit.

l) Intercostales arterias excipit, inscriptus margini costarum inferiori sinus, cum venis nervisque eandem viam legentibus. Demonstrat autem quotidie Anatome ludere hic sèpius Naturam, ita ut profundius incedat arteria, quam vena cum nervo. Lædi posse

Ubi vero ægrum male tenet istud valetudinis genus proprius
quæ ex pulmonum lœfis functionibus hauriuntur signis cognoscitur, de quibus autem pro dignitate dicere infra allaborabo.
Quid autem sperandum boni malique sit timendum in ista affectione, sana ratio cum experientia declarat, ac pulchre quoque descripsit Medicorum decus *van SWIETEN m)*. Scilicet stagnans in loco calenti, humido aérique libero patente crux illam subibit putredinem, quæ animalium liqoribus propria est, alcalinam scilicet atque acerrimam, quæ ubi semel incepit oriri, brevi ad summum ascendit gradum, vicinas rodit exeditque partes, pulmones scilicet, pleuram, mediastinum, pericardium, cor, suaque mephiti inficit; vasis quoque bibulis recepta cum reliquo sanguine circulum subit, huicque mixtus fermenti ad instar ad corruptelæ suæ participationem invitat. In Nobili Viro thoracem vulnerato gladii ictu in cavum penetrante, post septem vel octo libras sanguinis perditas, dum circa finem primæ diei post vulnerum inflictum removeret apparatus *BELLOSTE n)* eduxit sex septemve uncias sanguinis, jam sanie corrupti, quales historias quoque referunt *SCULPTUS o), HILDANUS p)* aliique: oritur autem & alia hic sanguinis corruptio, qua in album, laudabile atque consistens vertitur pus, miranda sane res, de qua opere pretium duxi, ut amplius differerem: quæ ad evacuandum sanguinem inserviant encheire-

B 2

igitur intercostales arterias palam est, hujusque phænomeni immemor sine dubio fuit RAVATON *l. c.* ubi contra hanc sententiam disputat. Ad compescendas ex arteriis his haemorrhagias apta machinamenta habent. *Mem. de l' Acad. R. de Chir. Tom. II. p. 125.*
& *Hist. p. XCV.*

m) *Comment. in Bærb. Apb. §. 301. n°. 3. p. 500. sqq.*

n) *Chirurgien d'Hôpital p. 128.*

o) *Armamentar. Chirurg. Obsf. L. I. p. m. 66. & Obsf. L. VI. p. 81.*

p) *Observ. Chirurg. Cent. II. Obsf. VI.*

les, ex omnibus Chirurgiæ Autoribus cum disci possit, de his dicere supervacaneum esse duxi. Sufficiat monuisse, præter paracenthesin reliquas fere hodie negligi.

§. VI.

Sanguinis, qui in casu meo ex vulnerato pulmone in pectoris cavum effluxit, in purulentam materiam transitus peculiarem sibi poscit considerationem. Offert scilicet ille occasionem opportunam dicendi de suppuratione, quatenus absque inflammatione prægressa locum habere possit. Evidem a longis retro annis axiom a fuit Chirurgiæ, suppurationem fieri nullatenus posse, nisi præcesserit inflammatio ^{q)}; quam tamen doctrinam novissime impugnarunt non infimi Ordinis Scriptores ^{r)}, quorum argumenta dum pondero, dubium fateor hærere animum. An trahendæ huc illæ abscessuum observationes, quæ in emaciatis corporibus sæpius hinc inde de improviso exsurgunt, ubi nulla inflammationis aderat suspicio? An facit huc HIPPOCRATIS ^{s)} dictum, ubi sine febre natas fuisse LEAMBIO abscessus narrat? An trahenda huc quoque spontanea illa cysticorum tumorum suppuratio, postquam longos per

^{q)} Ad necessarias suppurationis conditiones inflammationem prægressam requirit Cl. GRASHUYS in Diff. de Generatione puris, vid. Prix de l' Academie de Chir. Tom. II. p. 283.

^{r)} vid. Cel. DE HAEN Rat. Med. P. II. p. 46. & 47. ex instituto quoque de hac re disputat Cl. SCHROEDER in Diff. sui de Puris absque prægressa inflammatione origine Gotting. 1766. qui pluribus exemplis argumentisque suam thesin probare annititur. Eandem denique doctrinam ultimis hisce temporibus proponit WINTERL. in Diff. aliqua, quam novam inflammationis theoriam inscribit, eujus tamen placida a senioribus Medicis non receptumiri spero, dum validioribus exprobet argumentis, satisque perspicua dictio ne exponat.

^{s)} Eadem. IV. XXXIII. p. 760. Opp. omn. Tom. I. Edit. VAN DER LINDEN.

annos integrū remansere? An ex mea Observacione aliquent
fructum capient novæ theorizæ Fautores, in quo casu febris
conditionem, quam suppurationis requirit, adsuisse negat Cl. Ob-
servator, ut ita concludant eum fuisse caloris gradum, fan-
guinisque indolem, quæ puris generationi favent? An aliquid
hic confert aëris accessus, sine quo, ut in aneurysmate nullus
in sanguine intestinus motus esse potest? Quid est igitur,
quod stagnantem aliqua copia sanguinem in purulentam potius
quam in putridam vertat materiam? Num aliqua intercedit
inter duo hæc similitudo, ut incitato æque ac plane sedato
sanguinis circulo utramque mutationem subire hic possit, pro-
ut vel loci conditio, vel calor, vel indoles, vel aliud quid
ignotum ad alterutram metamorphosin illam disponant? Hæc
problemata ille demum solvet, cui tota innotuerit suppura-
tionis historia, ita ut docere nos possit, quid accidat sanguini,
ubi in pus convertitur, quibusque conditionibus a gangrenæ
differat? Sed redeam in viam.

§. VII.

Multiplices sunt, quæ Empyemati originem præbere pos-
sunt potentiae nocentes, quas ut ordine proponam, in exter-
nas atque internas cum reliquis Autoribus t) divido, atque in-
ternarum iterum numerus magnam absolvit paginam. Etenim
sæpius abeunt in suppurationem, Peripneumonia atque Pleuri-
tis, ac utraque sæpe alteri associata palmones atque pleuram
male tenentes; ubi vero in his partibus ortum est pus, cito
consumit sive reliquam pulmonis substantiam, sive pleuram
exedit, inque thoracis cavum effundetur. Docuit jam HIP-

B 3

t) vid. OSTERDYCKSCHACHT *Inst. Med. Praet.*, Lib. VI. Cap. XIII.
§. 3. 4. 5. FLEBBE de Empyemate §. III. Groning. 1763. &c.

POCRATES ^{u)} , ita terminari sæpius hosce morbos , dum qui pleuritici facti , inquit , non repurgantur "superne in quatuor „decim diebus , his in Empyema convertitur " ; alioque loco ^{x)} : "Si pulmonis inflammatione detentus , diebus , qui talia „decernere creduntur , non purgetur , sed sputum & pituita in „pulmone remaneat , suppuratus fit ; " hanc Veterum observationem recentiores quoque Medicinæ Doctores verissimam agnover . In Empyema quoque degenerant vomicæ atque pulmonum abscessus , ex quacunque alia causa orti , pure per exesam externam pulmonis membranam in pectoris cavum stillante ^{y)} angina porro his adnumeranda , non raro in pus abiens , quod per cellulose mirois anfractus ad pectoris cavitatem desertur ^{z)} . Docent quoque Observations & paraphrenitidem & hepatitidem : quando eodem eventu gaudent , erosio diaphragmatis carnibus in thoracis cavitatem quandoque deponere materiam purulentam , sicque lethale certe Empyematis genus efficere ^{a)} . Et quid repugnat denique , quin & per metastasin effundi possit in hanc cavitatem alibi generatum pus , cum non raro mirando hoc artificio natura utatur , ut abscessum aliquem subito solvat ^{b)} . Et sic quidem oritur Empyema ab internis causis . Quæ extus hunc morbum gignere possunt , vulnera sunt po-

^{u)} Aph. VIII. Sect. V.

^{x)} de Morb. Lib. I. Cap. X. p. II. Tom. II.

^{y)} vid. LUDWIG Inst. Med. pract. p. II. Tr. II. C. III. §. 782.

^{z)} VAN SWIETEN Comment. in Bærb. Aphor. Tom. III. p. 79.
De cellulose telæ universali concursu optime dixit HALLERUS .
vid. Prim. Lin. Phys. §. XXI. ed. ult.

^{a)} de Empyemate ex suppurato jecore memorabili exemplum habet STALPART VAN DER WIEL Ohserv. rar. Cent. I. p. 202. ex Diaphragmate suppurato habent Mem. de l' Acad. de Chirurg. Tom. II. p. 60. quo tamen in casu hepar quoque accusandum erat.

^{b)} Probabile facit DE HAEN Rat. med. Vol. I. C. VII. & p. II. C. II.

tissimum atque quidem non solum ea , quæ in cavitatem penetrant , lobumque pulmonis hædunt , sed & quæ in contûnentibus partibus subsistunt , dum nempe pus declivi situ exire non valens , interna petit , pleuram erodit , atque in thoracis cavitatem deponitur c) . Omnia tandem ea , quæ graviter pulmones vexant , excitata inflammatione , suppuratione , qua exeditur ejus substantia , effunditurque super diaphragma materia purulenta , Empyematis causa esse solent , quale exemplum refert ASELMEYER d) .

§. VIII.

Sed ut de Signis , quæ Empyema subesse arguunt , accutius dicere queam , operæ pretium est , eas propius rimari cavitatis recessus sive naturalis sive præter naturam natos , in quibus hærere solet pus , quod Empyematis causa est ; scilicet thoracis conum ita replent pulmones , ut in suo sacco hæreat uterque a pleura formato , qui in thoracis media cavitate concurrentes , duplicata tua lamina Mediastinum efficiunt , anterius vero posteriusque cavum relinquunt spatum ; hoc vasus fanguiferis magnis thoracico ductu aliisque repletur , illud cellulosa tela atque thymus superne replent , inferius vero spatum occupat pericardium cavum , quod cor cum suis annexis partibus recipit . Breviter hic habes , quæ Anatome docet . In his omnibus , ut nec posteriorem Mediastini hiatum excipias , cavitatibus quandoque hærere pus , adeoque Empyema efficere docent numerosæ Observations ; in lateralibus quidem , quibus recipiuntur pulmones , pleuræ saccis , ita sæpius sedem suam fugit dira hæc valetudo , ut ex omnium observationum libris exempla hoc referenda haurire queas , sæpius quidem cum nulla sit inter hos saccos naturaliter communica-

c) PLATNER *Inst. Chir.* §. 648. ed. germ.d) *Dissert. de Empyemate singulari.* Erlang. 1763.

tio, oritur illud in alterutro latere, est tamen ubi in utroque confluit pus, morbumque duplicum facit, quale exemplum refert LA MOTTE e). Sed & in pericardio quandoque hæret pus, illudque rplet, cor exedit, miseram vitæ finem imponit, qualem casum habet BONNETUS f). In Mediastini anteriore hiatu confluere pus, quod tandem inducta acrimonia vicinas duras, mollesque erodit partes, multis exemplis probant DE LA MOTTE g) atque ILL. DE LA MARTINIERE h). Sed & quandoque fuos sibi format parietes, dum scilicet sive inter pleuram, costasque moventes musculos generatur, illam in pectoris cavitatem urget, brevi rumpendam; sive inter pulmonis cum pleura concretiones hæret, sive propriam sibi efficit cystidem. Mortuum Empyicum secuerat LEDRAN, inventique cystidem pure plenam inter pulmones atque mediastinum, quæ post prægressam inflammationem concreverant i), pauloque post aliud refert Empyematis cystici exemplum, quod scilicet inter pulmonem atque pleuram hærebat k). Cæsim læsus agricola in sinistram scapulam ad secundam usque costam prope vertebrae, moritur die a vulnere accepto vigesimo sexto; dissecto thorace invenitur cava sinuosa purulentæ materiæ plena, hiante ore communicans thoracis cavo: Sic refert Venerandus Artis Senex MORGAGNI l), ut ex his intelligas, non unam eandemque esse sedem Empyematis, eo-
que

e) *Traité complete de Chir.* Tome III. Obs. 223. p. 61,

f) *Sepulchret. anat.* Lib. II. Sect. VI. Obs. XV. p. 544.

g) l. c. Obs. 224. p. 70.

h) *Mem. de l' Acad. de Chir.* Tome IV.

i) *Obs. de Chir.* Tom. I. Obs. 32. p. 215.

k) l. c. Obs. 34. p. 235. sqq.

l) *de Sed. & Caus. Morb.* Tom. II. Lib. IV. Epist. LIII. Art. XI.
p. 311.

que magis suspecta signa, quibus, an ubique hæreat pus?
certior fieri possit Chirurgus; de quibus ut amplius nunc di-
cam materiae postulat ordo.

§. IX.

Labyrinthum hic ingredior, quo ut me extricem vix dabi-
tur potestas? Etenim duni omnia rumor, quæ ab Autoribus
proposita sunt Empyematis signa, quæ scilicet ex læsa pulmo-
num functione defumuntur, eaque morborum historiis, quas
indubitate fidei Observatores tradiderunt, conseruo, vix unum
esse video, quo standum sit. Placent summeque apposite hoc
quadrant magni nominis Medici BAGLIVII ^{m)} verba, quan-
do ita exclamat: "O! quantum difficile est, curare morbos
„pulmonum! o quanto difficilius eosdem cognoscere & de iis
„certum dare præfigurum! Fallunt peritissimos ac ipsos
„Medicinæ Principes." Oportet autem ut magis diluciden-
tur, quæ nunc dicenda sunt, distinguere inter ea, quæ post
acceptum vulnus sanguinem effusum fuisse arguunt, atque ista,
quæ puris inibi ex suis causis collectionem demonstrant, de-
que illis sermonis facere initium, quamvis enim plura imo po-
tiora inter se habeant communia, sunt tamen, quæ ad alte-
rutrū potius referas casum, huic adeo sint propria. Igi-
tur ubi vulnus accepit homo, quod pectoris cavitatem intrasse
internasque læsisse partes certum est, cum in ea maxima præ
reliquis humani corporis partibus condantur vasa, suspicio,
metusque oritur, ne discissis iis magna sanguinis vis exhauriat-
tur atque inter pulmones continentesque corporis partes coeat.
Hæc communis Chirurgorum ad hunc usque diem sententia
est, docueruntque optimi inter eos Autores, VAN SWIETEN

C

^{m)} *Praxis Med. Lib. I. Cap. IX.*

o), LA MOTTE o), PLATNERUS p) aliique, ne autoritatum pondus accumulem. Inter signa vero effusi cruxis primum ponunt Orthopnoam; ita scilicet hariolantes, sanguinem, dum ex vase suo exit, premere diaphragma, pulmonum impedit dilatationem, spiritum ita reddere difficultem; huc quoque pertinent ea, quæ majorem aliquam hæmorrhagiam alias semper sequi solent symptomata, eaque perpetuo crescentia. Non satis vero certum esse primum, quod ex orthopnoa colligunt signum, facile cum RAVATON q) credo, cum omnem læsionem pulmonum concomitetur, quin & continentium partium inflammationem necessaria Naturæ lege excipiat. Quæ alias hæmorrhagiæ sequelæ esse solent, scilicet debilitas ingens, pallor, frigidusque sudor, si subito increcant, largam quidem atque immedicablem significant hæmorrhagiam, ubi autem ex minori arteria fertur sanguis, qua plane discissa sit, sua tamen virtute sese claudit ista, poteritque ita Medens hoc signo deflui, sanguine tamen in thorace stagnante. Quare etiam nemis præcipitanter concludatur, non solum sedulo conferenda hæc cum sequentibus, sed expectandum, dum symptomatum pertinacitas majorem lucem accendat, etenim & peritisimi hac in re jam hallucinati sunt r).

§. X.

n) *Comment. in Bærb. Aph.* Tom. I. §. 301. n. 2. p. 500.

o) *Traité de Chir. complète* Tome III. Chap. XIV. passim.

p) *Inst. Chir.* §. 645. sqq.

q) *Traité des playes d'armes à feu* Vol. II. C. VI. p. 429. ed. germ.

r) Symptomatum levitatem deceptum se fuisse, ut eruorem in thoracis cavo effusum crederet, deque instituenda paracenthesi serio cogitaret, magni suo tempore nominis Chirurgus MERY ipse factetur; cum tamen ostiduo absoluta dein vulneris fanatio nihil tale factum fuisse doceret. vid. *Mem. de l'Acad. des Sciences* An. 1713. p. 159.

§. X.

Alia iterum sunt, quæ puris collectio cum sanguinis effusione communia habet signa, a ponderis potissimum affectibus desumpta. Atque duo potissimum proponunt Autores Experimenta, quæ cum ægro suo instituit Cl. *Observator*; ubi scilicet heterogeneum hæret inter pulmones contentasque pectoris partes fluidum ^{s)}, pro vario quem æger tenebit situ, necessario in illa pectoris parte confluet, quæ nunc sub eo situ infima est. Igitur si erectus sedeat atque ita inferne ponatur septum transversum, delabatur super illud necesse est sanguis sive purulenta materies, atque potissimum in declivorem ejus partem, quæ a tergo est; gravata autem sic musculosa dia-phragmatis parte turbabitur respiratio, ita ut facilior inspiratio sit præ expiratione, suffocationis oriatur metus, eumque situm propterea diu tenere nequeat ægrotus; confluet vero super mediastinum, ubi in sanum latus decumbit æger, duplensemque hanc pleuram deprimet, ut compresso fano pulmone, qui explicari nunc libere nequit, nec istum ferre decubitum possit ægrotus, quod suo tempore jam HIPPOCRATES docuit ^{t).} Quare in affectum cubare pectus tolerabilius est, cum sic in ejus lateralem concavitatem coeat liquor, atque superne positus sanus pulmo debite expandatur, ob eandem quoque causam in tergum amant cubare potissimum ii, quorum utrumque pectus sic affectum est. Diceres hæc rationi physiologesque sanis principiis consentanea, signorum pathognomonicorum nomine præ aliis esse digna; sed & hic dolendæ Medentium vices, quoniam & hæc fallere multiplex docet experientia.

C 2

^{s)} Ut ex hoc solo symptomate discas, in quantum erraverit HAM-BERGERUS, cum elasticum aërem inter pulmones atque pleuram esse doceret.

^{t)} de Morbis Lib. II. C. XLV.

Etenim possunt ex una parte adesse, citra ullam in pectore effusionem. Memorabilis est casus, quem refert DE LA MOTTE *a*); scilicet: "Vulneratus erat Nobilis in dextra pectoris parte, ita tamen, ut legeret vulnus tertiam costam atque exiret prope claviculam, ubi cum sterno committitur. Vulnus hoc orthopnoea in omni situ eadem, atque in sanum latus cubandi immunitia usque concomitabat, dum pleuræ remitteret inflammatio." Detulisse ex altera parte hæc signa in vero Empyemate alii nec minus fide digni Viri exemplis docent. Empyema insigne sinistri lateris thoracis nulla sui signa exhibens habet BONNETUS *x*); plures Empyematum Observations exposuit LEDRAN *y*), consuetis his signis omnino carentes. Et quid mirum? cum nemo non videat, quod ejus tantum Empyematis presentiam indicare possint, quod in pulmonum saccis suam sedem figit, imo vero deesse debeant, ubi lente increscit puris copia, organa hæc sensim quasi pondere suo assuefaciens, minusque gravans, ita quoque aberunt in illis Empyematum generibus, ubi vel in mediastini cavis, vel in pericardio, vel in sua cystide, vel inter concretam cum pulmonibus pleuram hæret materia, ad quæ ultima sua quoque refert exempla LEDRAN *z*). Nec tandem stabile est, quod a fluctuatione jam HIPPOCRATES *a*) petiit signum, cum grumosus sanguis crassumve pus fluctuare recusent; præsertim ubi totus ea materia repletus est thorax *b*).

a) Traité de la Chir. complete Tom. III. Obs. 225. p. 78. sqq.

x) Sepulchr. Anat. Lib. Sect. VI. Obs. XI.

y) Oisero. de Chir. Tom. I. Obs. 22. & 24.

z) *l. c.*

a) de Morbis Lib. II. Cap. XLV. p. 70. Tom. II. optat Medicinæ Parentis, ut sinistrum potius latus affectum sit.

b) Hoc ipso *l. c.* nec non Aph. XLI. Sect. VI. idem fatetur divus Cous.

§. XI.

Animadvertuntur autem quædam puris in pectori collectio-
ni veroque adeo Empyemati propria signa. Cum enim ista af-
fæctio non possit non cum pulmonis suppuratione esse conju-
cta, phthyseos symptomatibus ut plurimum solet sibi pari. Gra-
phice hæc jam olim descripsit HIPPOCRATES c), cuius Obser-
vationibus vix quidquam habent recentiores quod addant.
Atque tria potissimum Medicinæ hic patens Empyematis signa
requirit; pondus scilicet, de quo superius jam diximus, ri-
gorem atque febrem. Eleganter hæc delineavit fidelis Veterum
Interpres LOMMIUS d), cuius verba dum refero, gratum mihi videor Lectori praestare officium. “Pectoris suppuration,
inquit, „quam Græci ἐπιπίπη vocant, has notas habet: fe-
„bricula afflida, languida, incerta, sicca, ac vere hec tia te-
„net, eaque interdiu levior est, noctu increscit; frequens tus-
„sis validaque est, qua nihil tamen excluditur: Multus etiam
„sudor toto corpore funditur, post quem interdum æger in-
„terdum inhorrescit, dolor idem varia loca pectoris affi-
„cit: frequens spiritus; & vehementer impeditus est, sic ut
„præceps sermo & multis partibus intercitus: itaque nares in-
„ster spirandum arctantur, fitque per has ducti acris fibulis.
„Ad hæc maxillæ rubent, manus pedesque calent, & in his
„adunci unguis flunt sumimique digiti, (ubi manum promo-
„vit) pallent.” Significant hæc indivisibilem esse ab Empye-
mate lentam febriculam cum omnibus suis symptomatibus,
originem suam a resorpto per bibula vasa pure trahens. Mi-
randum magis est, quod RIVERIUS e) olim proposuit. Em-
pyematis signum abhinc quidem ab Autoribus neglectum, nu-

C 3

c) In libro de Prænot. Cap. XVI. Tom. I. p. 460.

d) Obser. Medic. Lib. II. C. de Suppuratione.

e) Apud BONNET. Sepulchr. Anat. L. II. Sæc. VI. Obs. XI. in Scholie.

perrime vero ab III. Viro LEDRAN f) iterum excitatum, oedema scilicet in affecto thoracis latere; atque tantam quidem in eo ponit fiduciam, ut pro univoco venditare nullus dubitet; testantur hæc propria ejus sequentia verba: "La tumeur oedemateuse & pateuse est donc un signe de suppuration dans la poitrine, mais comme cet oedeme se trouve également, lors que ce pus se forme, & lorsqu'il est formé, ce signe ne peut denoter le tems, auquel il faut faire l'opération". Oprares ut suam quoque Autor dedisset sententiam de oedematis hujus origine, quæ haud adeo prono intelligitur; quæ autem haec nus delibavi, quamvis ad Empyematis præsentiam declarandam non omnia requirantur, aliqua tamen semper adesse solent, simulque quale latus affectum sit, aperte declarant; quæ HIPPOCRATES ad faciendam hanc diagnosin præcipit, hodie fere negliguntur g).

§. XII.

Proximum est, ut Observatorum monumerita lustrem, eosque, in quantum potest fieri, colligam casus, qui cum meo similitudinis aliqua specie comparari possunt, quorum quidem plures supra jam adduxi; lubet tamen illos solummodo hic excerpere, qui eadem fere symptomata exhibentes ad meum po-

f) *Observ. de Chir.* Tome I. p. 214.

g) Varia quidem sunt, quæ in diversis quoque locis ab eo proponuntur. Loco sc. lit. a. cit. calida lavare, inique sedem firmam locare jubet, ut ex concessione judicium fiat. Lib. III. *de Morbis Cap. XXVII.* p. 116. ita loquitur: "Si præ crassitudine humor non fluit, neque frèpitus sit in pectore, verum spiritum frequenter strahat, & pedes intumescant, & tussicula aliqua adsit, ne te decipiant hæc, sed thoracem pure plenam esse probe noris. Proinde in terra erethriade liquida & valde trita ac tepida, linteum tenue cingito, eoque thoracem, circum circa integito, & qua parte primum resicatum fuerit, ea fecato, & urito proxime ad septum transversum."

tissimum scopum facere videntur. Ex magna igitur observationum de absconditis Empyematis turba binas tantum sequentes hoc pertinere existimavi. Primam habet LEDRAN cum mea sic satis convenientem b): "Ecclesiasticus catarrhalis correptus erat febre cum vomendi conatibus; lateris punctorio dolore, quem & in lumbis sentiebat, hunc morbum ut depellent, plurimas venæfectiones instituere Medentes; hæc mitigaverant quidem aliquatenus morbi fævitium; sed tussis vexabat continua, Hippocratica erat facies, febris usque durabat, tandem œdematosus apparuit in latere tumor, quem cum febrilibus horroribus eum conferret Autor, suppurationis indicium esse suspicatus est, quam etiam sententiam firmabant purulenta sputa atque œdema pertinaciter inhærens; nihilo minus tamen obsistebat propositæ operationi aliorum Virorum autoritas. Perdurantibus autem iisdem symptomatibus, quamvis alia Empyematis signa non adessent, tandem plurimorum vota decernunt, subesse in pectore pus, adeoque paracanthesin esse instituendam. Nec fecellit opinio, cum ex inficto vulnere exierint ferosi puris decem circiter unciae." Existimat ipse Cl. Vir, hæsisse hic purulentam materiem in propria cystide, nec alia potuisse sui edere signa, quam quæ apparuere. Accuratus quadrat ad meam morbi Historiam, canderisque fere esse crederes, quæ ex LA MOTTE i) excerpta sic fere fese habet: "Vulneratus erat honestus civis inter quartam quintamque costarum, cuius vulnus in cavitatem pectoris adactum erat, teste aëre, qui cum impetu exibat. Cum autem nec sanguinem spueret, nec dyspnœa laboraret, nec de ulla pressione quereretur æger, proximum esse creditit cum Collegis Autor, ut clauderetur vulnus. Sed decimo five duodecimo ab accepto vulnere dolorem sentit nocturnum satisque magnum æger in ea parte, qua vulnus intraverat.

b) *Observ. de Chirurg.* Tome I. Obs. 34. p. 235. sqq.

i) *Traité complète de la Chirurg.* Tome III. Obs. 221. p. 43. sqq.

„Instituto examine offert se eminentia in ipsa cicatrice, quam, ut maturaretur humor, diachylo deligabant Chirurgi, aperi-
turi quoque nisi sponte fuisset ruptus.“ Cujus rei causam
pleuræ cum pulmonibus concretioni quoque tribuit Autor:
ut videoas, ita sœpe latere huncce morbum, ut fileant sym-
ptomata, neque mirum sit, dubium ancipitemque hærere Me-
didentem, quid tentet boni, quid noxi vitet?

§. XIII.

Age! nunc, quæ haec tenus dicta sunt, relegam, ut rite
struatur Casus mei Epicrisis. Scilicet primordia Empyematis,
quo vexabatur ægrotus meus, præbuit thoracis vulnus in pul-
monem penetrans, quod acuta febris summaque dyspnoea,
uti dicit Cl. *Observator*, non obscure indicabant. Quamvis
enim per se nullam pulmonis lœsi certitudinem dare possit
utrumque signum, ubi tamen simul adiunt, teneri hujus vi-
sceris inflammationem adesse, adeoque infictum vulnus pro-
funde adactum fuisse, sanioribus artis principiis consonum est.
Nec multis dijudicabo methodum, qua obviā ierat diris quæ
hic aderant symptomatibus, quippe quæ cum maximorum Pra-
cticorum præceptis conveniebat. Obscuriora sunt quæ sequun-
tur, magisque mea consideratione digna. Etenim adesse ali-
quid causæ, quod pulmones premeret, atque dyspnoeam ex-
citaret, ipsa res satis clare docebat; febris insuper ex acuta
lenta facta demonstrabat, vanum nunc esse inflammationis
metum, adeoque adesse aliquid monstris; itaque primum erat
concludere, effusam cum vulnus recens esset sanguinis copiam
in pus interim versam proximam esse morbi causam, sed ab-
sentibus, quæ a pondere materiæ defumi solent, certis alias
quidem signis, ecce offert se simul affectum hepar phlogisticis
uti videbatur obstructionibus laborans, quod tanquam morbi
causam verosimili satis conjectura accusant Medentes; nec est
eū improbemus eorum hic judicium, cum, BAGLIVIO teste,

& Principes hic Medicinæ hallucinantur. Nihilominus vero declarat se postea aperte morbi sedes, dum nascitur tumor prope concretam jam vulneris cicatricem: Cur autem nullo se antea prodiderat ponderis signo? an inter mediaстini duplicaturas latebat pus, ita ut septum transversum premere non potuerit? Vix videtur ex eo quem habuit eventu, nullatenus fecuturo, nisi in pleuræ hæsisset fassis? An in propria hic hærebat cystide? Verosimile non est, cum nulla sit Observatio de Empyemate externo sese tumore ostendentis, ubi ita est abscondita morbi sedes? An inter pleuræ pulmonisque concretiones sensim sensimque confluxerat pus, ut integumenta potius elevarit, quam ut intus potuisset confluere? Ita videtur, si simul consideres, gracile fuisse corpus, in quo facile has concretiones efficere potuerat levis, qui forte præcesserat, affectus catarrhalis; nec improbabilis est conjectura, in ipso hoc morbo fuisse natas, dum pulmonis vulnus cum isto exteriarum partium concreceret, ex quo simul intelligis, cur infra cicatricem potius apparuerit fluctuans tumor. Certum tandem esse videtur ex puris copia atque foetore longam egisse jam in pectore moram, ac pulmonis aliquam partem exedisse. Fluit igitur ex his prono alveo illud corollarium, quod & sagax inde deduxit Cl. *Observatoris* ingenium, scilicet ubi ita anamnestica signa cum præsentibus conspirant symptomatibus, ut post inflictum vulnus aliumve pulmonis morbum hæc tica inequatur febris cum dyspnoea pertinaci, aliis licet absentibus Empyematis signis, tamen adesse hoc concludere tuto posse Chirurgum.

§. XIV.

Ancipitem esse omnium Empyicorum conditionem demonstrat tum experientia, tum ipsa ratio, cum in spongiose tenero, nobilique functioni inserviente viscere cito pede serpat suppurratio, quæ, ubi principiis non oblititur, nullo postea modo cohiberi se finit. Hæc cadaverum docet inspectio, quæ

D

constat, plene exesos esse pulmones eorum, qui post longum cum morbo confictum tandem occumbunt & vita defunguntur; qualia exempla plura tibi exhibit BONNETUS ^{k)}. Ubi vero a principio morbi orditur medicatio, bona affulget spes ac extant exempla, posse bonis avibus profligari morbum. Male vulnerati hominis vulnus Empyema excipit, Sculteti ^{l)} cura feliciter curatum; eodem eventu sublatum est pessimum Empyematis genus, ascitem simulans, BINNINGERO teste ^{m)}; similia quoque habent PEZOLDI ⁿ⁾ aliique. Rarus quidem hic morbi eventus, rarius tamen iste, ubi per aliquod corporis colatorium, sive ad aliam quandam corporis partem materiam morbificam defert actuosa Natura, sicut Medenti, suo quippe ministro, viam monstrat, quam tuto calcare possit. Metaftasin vocant Medici mirandum illum autoeratiae Naturae effectum. Eliminatur vero Empyematis materies aliquando per urinæ vias, ut scilicet resumant materiam venæ bibulæ atque ad uropœa organa deponant. Memorabilem, qui hue spectat, recenset casum FABRICIUS AB AQUAPENDENTE ^{o)}: “Vulneratus Vir, cum omnia adessent effusi cruaris signa, ideoque de instituenda Paracenthesi cogitarent Medici, cayathum mejit cruaris, atque solvitur morbus”. Mixtione purulenta verum crebro terminari Empyema, ex instituto fuse docuit FLOHR ^{p)}, ut exempla colligere supervacaneum sit. Educitur & per alvum Empyematis materies, eodem resorptio-

^{k)} Sepulchret. Anatom. Lib. II. Sect. VI. tota.

^{l)} Armament. chirurg. V. II Obs. LIII. p. m. 71.

^{m)} Observ. & Curat. Medicin. Cent. II. Obs. 47. p. 178.

ⁿ⁾ Observat. Med. Chirurg. Obs. XXIV. p. 41.

^{o)} Opp. Chirurg. V. I. Lib. II. C. XXII. p. 213.

^{p)} in Diss. de Solutione Empyematis per midum purulentum, Halæ Magdeb. 1762.

nis venarum artificio, quales Observationes PETRUS DE MARCHETIS *q)* atque PEZOLDI *r)* referunt; rarissimi tandem sunt, qui sequuntur effectus. Empyema in centurione thoracis vulnera secutum ita solutum est, ut ex septa vena pus prodiret, apud BELLOSTE *s)*, qui & per sudores soluta se vidisse Empyemata docet. Suppurata inque Empyema versa pleuritis abiit in abscessum umbilici, sicutque feliciter sanata est ægra, referente TULPIO *t)*. Per os, sedes, urinas & uterum successive emanavit Empyema, quæ historia BINNINGERI *u)* inititur fide, an & ad metastasis tumorem referes, qui uti in mea, sic & in TULPII *x)*, LA MOTTE *y)* aliorumque Observationibus viam quasi monstrabat, quo educendum esset pus? Me quidem non habebit dissentientem, cui ita placebit, modo mecum conveniat pleuræ cum pulmonibus concretiones, quam hic quandoque conferre symbolam.

§. XV.

Hæc quidem felici haud tamen familiari eventu ita accidere solent, ut quoque non raro ultima, nec tamen certa ægroti salus in parenthesi posita sit; neglecta hæc certum exitium manere ægrotis, tristes demonstrant hominum mortes, idque

D 2

q) Obs. Med. Chir. Obs. XLIII. p. 82.

r) Obs. Med. Chir. Obs. LXVII. p. 139.

s) Chirurgien de l'Hôpital p. 136.

t) Obs. Med. Lib. II. Cap. VI.

u) Obs. & Curat. Med. Cent. V. Obs. 68. p. 568.

w) Obs. Med. Lib. II. Cap. VI.

y) I. c. Lit. l. p. 13, fqq.

doceat praeter BONNETI z), TULPII a), SCULTETI b) Observationes, quotidiana exempla, certiorum vero ista recuperandæ valetudinis spem facit, ubi in morbi incunabulis instituitur, atque haud raro ita erectos fuisse morti ægrotos, legimus apud SCULTEMUM c), PETRUM DE MARCHETIS d), VAN HORNE e), LA MOTTE f), LEDRAN g), omnesque fere Observatores; ubi vero ita invaluit morbus, ut pulmonum maximam jam partem erosa sit substantia, tentari quidem potest paracenthesis, ut aliquod levamen concilietur ægrotto, lethalem tamen eventum avertere amplius non valens. "Vulneratus Nobilis in Empyema inciderat, paracenthesin necessario requirens, quod tamen dissuadente magni nominis Chirurgo ac renidente ægro ita neglectum fuit, ut tandem quidem, sed clamatis jam ægroti rebus, institueretur, ex qua tamen illud boni hausit ægrotus, ut vita horula aliquantum protraheretur" h). Ubi vero ad mortem usque vergit, dira hæc valetudo extremitatum œdema, animæ foctor, fudores nocturni, alvis purulenta atque foctida cum metastatica crisi nullatenus confundenda i); vitæ finem appropinquantem

z) *Sepulchret. Anat.* Lib. II. Sect. VI. Obs. VI.

a) *Obs. Med.* Lib. II. C. V.

b) *Armament. Chirurg.* Part. II. Obs. LV.

c) *ibid.* Obs. LII.

d) *I. c.* Obs. XLIV. & XLVI.

e) *Microtechnie* Sect. II. P. I. §. 18. not. e. p. 439. Plures scilicet his Autores recenset, apud quos horum casum mentio fit.

f) *Traité complete de Chirurg.* Tome III. Chap. XIV.

g) *Obs. de Chirurg.* Obs. XXXIV. & sqq.

h) apud LA MOTTE *I. c.* Obs. 228. p. 58. Similem habet PLATERUS Observat. Lib. III. p. 733. sqq.

i) Spectat hic HIPPOCRATIS locus, in *Coacis Prenot.* C. III. No. 430. "Suppuratis pulmonum per alvum pus secedere lethale est, & paulo

tristes tanquam prodromi prænuntiant. An vera est HIPPOCRATIS observatio, quando majus periculum inesse contendit, ubi in dextro latere, quam ubi in sinistro sedem figit Empyema? k)

§. XVI.

Empyicus ut sanitati restituatur, opus est ante omnia, ut evacuetur pus thoracis cavo contentum. Absit a me, ut omnia hic pertradem, quæ hoc scopo satisfacere posse docent omnes Practicorum libri, inter quæ ultimum refugium esse paracenthesin in præcedentibus jamjam monui; igitur rebelle ad medicamenta malum, neque metastasi levatum hanc requirit operationem, quam & alios ad scopos institui posse docent Autores l). Componant hic suas lites Chirurgi de seculo electio-
nis loco, quæ me nullatenus morabuntur; consulant eorum libros, qui plura de perficiendæ hic paracentheseos modo sci-
ficare cupiunt, præceptis egregiis plenissimos. Ad me enim quem non nisi casus mei epicrisis attinet, hæc omnia non spe-
ctant; sufficiat dixisse, sequendam esse viam quam indicat Na-
tura, ubi tumore sic elevato, prout in casu meo apparuit,
scalpelli quasi operam desiderare videtur, quod idem jam olim

D 3

„post No. 416.“ quibus tabidis alvi profluvia accedunt, moriuntur.
Differentiam hic notat puris bona malave conditio.

k) *de Morbis Lib. II. C. 45. Tom. II. Edit. VAN DER LINDEN p. 70.*

l) Pectoris hydrops hanc operationem non raro exigit. vid. JUNCKER *Consp. Chirurg.* Tab. LXXVIII. aliquosque Chirurg. Aut. fæ-
piissime quidem frustanea hic est; aliquando tamen salutaris. vid.
Mem. de l' Acad. de Chirurg. Opp. Tome I. p. 56. HARSÆUM
hanc paracenthesin non semel instituisse, ut inveterata pulmonum
ulcera curaret, extrahendi aliena corpora necessitatem paracen-
thesin quoque requiri assertit *LUDWIG Infit. Chir.* edit. germ.
§. 991.

TULPIUS monuit ^{m)}, atque novissime FOUBERT ⁿ⁾ vulneris
inflicti curationem quod attinet, nihil in ea, qua usus est Cl.
Observator, reperio, quod maximorum Chirurgorum praxi
quoad externa æque ac interna medicamenta, non sit consen-
taneum ^{o)}. Unum est inter ea, quæ interne exhibita sunt,
de cuius salubri in pulmonum labe usu inter Eruditos ambigi-
tur, de Narcoticis loquor Opiatis. Evidet a Medicinæ fere
incunabulis ad nos usque militavat opium inter euporista con-
tra phthysin medicamenta, non quidem eo, ut credo, scopo,
quod pulmonis exulcerati deterioni crediderint aptum, sed ut
fævos saltē dolores mitigaret, qui ægros excruciant, ut quo-
que familiare sit inter formulas contra phthysin, legere narcoti-
cum vespertinis exhibendum horis. Surrexerunt vero no-
vissimis temporibus eruditi certe ingenuique Viri, qui exuere
hac fama opium, ac nocivum ejus in hoc morbo usum evince-
re tentarunt, quibus suas regerere rationes antiquæ methodi
fautores non sunt oblii; has lites amplius doctiusque, quam
mihi licuit, expositas habes apud TRALLES ^{p)}, eruditissimum
de Opii virtutibus scriptorem. Alienum quidem est a meo insti-
tuto, superatque vires, inter Summos hos Viros judicium
agere, quos sola experientia ad amplectendam unanimem sen-
tentiam compellat. Videtur autem, hanc potissimum laudati
Viri esse sententiam, cui quoque facile & ego subscribo; no-
xiū quidem esse opii usum in consummata phthysi, cum sup-
primat sputa, augeat calorem, aliosque excitet non laudan-
dos effectus: in incipiente pulmonum labe, qualis erat in ægroto
meo, non videtur culpandum esse Narcoticorum usum, cum

^{m)} *Obs. Med.* Lib. II. C. IV.

ⁿ⁾ *Mem. de l' Acad. de Chir.* Tome I. p. 717.

^{o)} Summam egregia methodi exhibet VAN SWIETEN *Comment. in Bœrb. Aphor.* Tom. I. §. 304.

^{p)} in suo non satis laudando *de Uso salubri & noxio Opii Tractatu*,
Sect. IV. §. 6. & seqq.

scilicet pulmones in perpetuo motu sint constituti, bronchia a pure exesa, atque continuo irritata; nequit interim ex minimis vasis exiens, humor eam induere qualitatem, quæ in recenti vulnere est, & quæ tamen requiritur, ut claudi possit ulcus; frustra hic solis abstinentibus fiduciam pones, nisi narcoticæ bronchia demulceas, præposteras eorum contractio-nes lenias, atque ita vespertinas exacerbationes, quibus nihil perniciosius ægro, prævertere tentes. Ita conciliato corpori somno excitabitur medicatrix Naturæ vis, effectum suum exe-rent detergentia externa, sicque depurato pulmonis ulcere, inductaque cicatrice, sanitate ut restituatur ægrotus spes af-fulgebit optima.

§. XVII.

Supereft, ut bina dijudicem phœnomena, quæ post aper-tum militis hujus thoracem apparuere, sicque casus mei epi-crisin, de qua §. XIII. dicere incepi, absolvam; Corollaris dein quædam Chirurgiæ praxin attinentia subjunctorus. Me-morabilis hic ante omnia est hepatis post paracenthesin detu-mescientia, ut apertum sit, symptoma fuisse insolitum hypo-chondrii tumorem, quem pro morbi causa habuerunt Mede-nates. An igitur mechanica necessitate hic prominebat hepar, ut ab incubente septo transverso materia exteriora versus premeretur, eaque remota ad pristinum situm recederet? non videtur ob concretiones, quas inter vulnerum pleuramque ad-fuisse fumme probabile est, ut supra docui. An largæ, quas morbus requisiverat Venæsectiones uti debilitatem toti corpo-ri, sic venæ portarum systemati languorem induxerant, ita ut sanguinæ stases in hepate fierent? An exederat pus longam post moram diaphragmatis carneam partem, inque je-coris ipsam substantiam fecerat sibi viam, ut ita cum TAIL-

LARD q) casu omnino conveniat meus? An probat id diarrhoea, alterum quod hic memorabile erat phænomenon, quod tam diu ægrotum meum male habuerat, certumque minabatur exitium, nisi fuisset cohibita? An critica potius hæc erat, ejusque generis, de quo supra tradidi? An vero diætæ vitio unice tribuenda, vix licet hæc nisi conjecturis dilucidare, quas illis relinquo, qui talibus delestantut; ego vero, qui dubitationem incertis præfero hypothesisibus, illis abstineo. Audacia igitur quandoque opus est, desperatisque morbis desperata adhibenda remedia. Etenim suadent omnia ipsam paracenthesis operationem, nec per se esse exitiosam, nec in eis quoque casibus, ubi spes est tenuissima, adeo inutilem, protut contendit SCHARP r), magni nominis alias Scriptor. Ubi ergo hæc unica salus ægroti est, non dubiter Chirurgus, dum valet vitæ vis, parare viam, qua educetur noxius humor, ut a pernicie serventur pulmones, nec cito serpat pede eorum tabes. Ubi vero increvit malum, nec tunc suæ sorti relinquendus æger, qui, dum spirat, sperat, atque sine mora instituenda paracenthesis. Inest enim vitali vi sèpius aliqua nobis ignota virtus, quæ reviviscit, dum removemus obstruenda, aggreditur morbum, & quod miraculum nobis non raro videtur, profligit. In desperata pectoris hydrope paracenthesin instituit MORAND s), quæ fortunatum fortiebatur eventum; quidni & inveterata Empyemata sic aggredi licebit, atque

q) quem recenset PETIT in Mem. de l' Acad. de Chir. Tome II. p. 56. sqq. Abscesserat hepar, atque per septi transversi vulnus in thoracis cavitatem confluxerat pus, extus triplicem elevans tumorem, quorum maximum cum aperiuisset Chirurgus, effluxit pus, sanatus est æger.

r) Traité des Opérations de Chirurgie Ch. 24.

s) Mem. de l' Acad. de Chirurg. Tome II. p. 545. & sqq.

atque Naturæ viribus confidere? Verum enim vero est ea quoque omnis paracanthesis conditio, ut, quamvis ad radicalem, quam vocant curam efficiendam sèpius sit inepta, ad levanda tamen symptomata ac protrahendam quam longissime fieri potest vitam aliquid faciat. Cum itaque, ut & hoc omni data opera efficiamus, jubeat nos commune Medicorum officium, stabit firma hæc atque inconcussa Lex, collectis omnibus, quæ apparebunt Empyematis signis, quæ & affectum indicabunt latus, nihil esse, quod ab instituendæ paracanthesis necessitate absterrere nos debeat.



Straßburg, Med. Diss.,
Dr. Jacobi-
Kilian
f
sb.





E M P Y E M A T I S
SINGULARIS
HISTORIAM ET EPICRISIN

GRAVISSIMO MEDICORUM ORDINE
INDULGENTE

PRO LICENTIA

GRADUM, HONORES ATQUE PRIVILEGIA
DOCTORUM MEDICINÆ

RITE IMPETRANDI

DIE XXI. DECEMBERIS MDCCCLXIX.

SOLENNI ERUDITORUM EXAMINI
PROPONIT

FRANCISCUS ANTONIUS
KELLER

HAGENOENSIS - ALSATA.

H. L. Q. C.

ARGENTORATI

Typis JOHANNIS HENRICI HEITZII,
Universitatis Typographi.